

tempore illud non tantopere superaret, certe hujus molestia, & atrocitas, molestiam, & atrocitatem illius aequaret; cum vero tantopere illud exuperet, superfluum est asseverare hoc illo esse pari cum cautela infligendum, imo majori, ut monet Farinac. *3. quæst. 38. num. 71.* atque idcirco dubium esse non debet, quod omnia ea, quæ impediunt, ne quis Chordæ tormento cruciari possit, multo magis impedimento erunt, ne quis huic tormento subjiciatur; nisi brachiorum quadam impedimenta excipere velis, quæ tamen ego respiciens ad cruciatum diurnitatem non exciperem. quinimmo leviores aliquos morbos, qui forte Chordæ tormentum non sufficienter impedire videntur, ut esset leviscula Tertiana simplex, aut etiam Quartana, certe ab hoc tormento exculare dixerim, quia tamen inter unam, & aliam Quartanæ febris accessione longa sint interstitia, nempe duorum dierum, tamen nimis violenta ea tormenti causa est, neque fieri potest, ut tam violenter, & tam longo tempore agendo ex intermittente continuam febrem non faciat in copore jam ad concipiendum febrilem calorem disposito, atque eadem ratio militaret, ne judice, in omni vel leviscula febricula, & in quibuscunque aliis levioribus morbis, unde eadem causa, quæ insufficientis videtur ad impediendum, ne quis sine torquetur, sufficiens evadet ad impediendum, ne quis tormento Vigilæ crucietur.

Sunt tamen præter enumeratos morbos in superiori quaestione alii nonnulli, qui peculiariter impedimento sunt, aut esse possunt, ne Rei huic tormento exponantur, quales illi omnes sunt, qui infimam sedem, circumjacentesque partes obsident, ut tumores sunt, sive apostematæ eorum locorum, dolentes, aut tumentes, aut ulceratæ, aut fistulosæ hæmorrhoides, quæ quidem venæ quædam cum sint numero quatuor, quarum duæ à splenetico ramo, duæ ab Epigastriaco descendentes ad extremum podicem se conterunt, interdum inflammantur, apostematantur, ulcerantur, & fistulas concipiunt. & quocunque ex his modis afficiantur, sufficientissimum impedimentum præbent, ne Rei torqueri hoc supplicio possint, quia facillimum esset ex tormenti violentia nova apostematæ & inflammationes gigni, aut jam factas in canceras abire, & malam qualitatem induere, quemadmodum etiam & in eorum ulceribus evenire potest; imo & in simplici earum venarum aperture, neque solum hoc locum habere debet cum de præsentis morbi Reos molestant, sed etiam si confiet de facili illis molestari solitos, de qua re cum nihil apud quemquam scriptum repererim, certe peculiarem haberi mentionem decuit; licet de Tormento Vigilæ neque Iureconsulti, neque alius quisquam quicquam effatu dignum afferant si modum, quo infligitur, & tormenti atrocitatem, de qua restantur, excipias. at de impedimentis quæ exculare Reos possint, nihil omnino habent, supponendo forte id, quod dixi, nempe quod omnia ea, quæ à Chordæ exculantur, exculent multo magis à Vigilæ, sed hæc quæ addidimus exculant à Vigilæ, non autem à Chordæ.

Sed & illud peculiariter animadversionem in hoc tormento expolcit, quod si in hoc quoque tormento infligendo ea cautela adhibeatur, ne Rei per octo, aut decem horas quicquam comederint, aut biberint, cum tormento sunt subjiciendi, necessarium omnino erit plerisque si longo tempore in tormento detineantur, ex inædia deficere, maxime

autem juniores, & habitu graciles, qui jejuniū difficulter ferre possunt: in his enim cum ex labore, & dolore, quem in tormento perpetuntur, fiat multa spirituum resolutio, si alia ex parte jejuniū & ante torturam, & in ipsa tortura perpeti cogantur, facili negotio animi defectus, lipothimia, synopsis, & ipsa tandem mors succedere ipsis potest, nisi oportune hoc incommodum declinetur. quamobrem recte consultum puto, si minus temporis spatium intercedat inter comestionem, & tormentum, & forte non majus quinque horarum, maxime in calidioribus naturis, & in his qui habitus sunt gracilioris; quod tanto magis, ac tutius executioni demandari potest, quanto in hoc tormento non fit tam violenta corporis agitatio, ut in Chordæ; unde minor etiam occasio adest excitandi vomitum, ex quo etiam minus periculum in hoc, quam in illo impendit. Quin & in ipso tormento non inconveniens ducio Reis aliquid offerre, si deficere se clament, aut iudici ita videatur, quod tamen stomachum gravare non possit, ut esset jusculum carniū, vel panis bucella vino madefacta, vel aliquid simile, vel permittendum, ut vini modicum forbillent, quod executioni aliquando non imprudentibus ludicibus demandari accepi.

## S V M M A R I V M.

1. Index reus mortis efficitur, si Rei in tormento ex sua negligentia moriantur.
2. Index quando veniat de homicidio, si Reus in tormento decedat.
3. Ad cognoscendum an Reus in tormento deficiat, quamnam attendere Index debeat.
4. Quomodo succurrendum his, qui in tormentis deficiunt.
5. Admonitio circa Reorum torquendorum inædiam.

Reos in tormentis deficere ex quibusnam signis cognosci possit.

## Q V A E S T I O VI.

VENIT interdum in infligendis tormentis, ut vel nullum appareat impedimentum, vel nullum à Reis opponatur, vel si opponatur, sufficiens à Iudice, vel à Medico ad hoc convocato non existimetur, vel ut vere nullum impedimentum adsit, unde Rei tormentis expositi manifestissimi periculi aleam subeant, defectu animi, vel simili aliquo symptomate correpti, ita ut, nisi illico à tormentis deponantur; & quam citissime illis succurratur, acta de ipsis res sit: hoc autem magni momenti quidem est, tum quia de vita hominis agitur, tum etiam quia si in hoc Iudicis culpa interveniat, qui nimis in tormentis excesserit, aut diligentiam non adhibuerit, nec peritos convocandos curaverit, antequam Reum tormento subjecerit, neque oportune jam deficere incipientem à tormento deposuerit, ipse Reus mortis efficitur, de qua re, si quis plura scire desiderat, consulat Farinac. abunde de ea re differenter *quæst. 37. à num. 112. ad plures seq. ubi* quando, & in quibus casibus hoc habeat locum sufficienter docet. inter cætera vero, quæ ille habet hoc est, tunc nempe Iudicem teneri de homicidio, quando Reum ultra ejus tolerantiam torquere non desistit,

non desistit, sed in torquendo modum excedit, quod tunc ulvenit, quando apparentibus nonnullis signis, quæ demonstrare possunt tormentum excedere Rei tolerantiam, Iudex tamen illum ulterius torquet: necessarium igitur est videre ex quibusnam signis cognoscere liceat, quando Reus ex tormentorum atrocitate deficere incipiat, quæ quidem signa nimis succincte, & concisè affert Ambrosin. *de mod. form. process. lib. 4. cap. 14. num. 4.* ex quo etiam, sed nihil luculentius Guazzin. *ad def. Reor. def. 30. cap. 12. num. 3.* Accuratus, sed breviter recensentur à Fortunato loco *sepius cit.* Iudex ergo ubi aliquid mali suspicetur, vel quod existimet Reum esse debilis naturæ, vel quod in medium attulerit aliquid impedimentum, quod ipse Iudex pro insufficienti duxerit, vel quod tormenta sint nimis atrocia, vel præscriptum tempus excedant, tunc primo ad faciem, & totius corporis colorem attendat, qui si in pallorem manifestum convertatur, & appareat jam in Reo cadaverosa pene imago; si dehinc etiam livescere faciem, pedes, & brachia conspexerit, tum tanto magis de futuro animi defectu dubitans, majore circumspectione, & majore attentione Reum considerabit, tum etiam ad illum tangendum accedet, vel tangendum curabit, ad explorandum, an refrigerari secundum frontem, aut tenuiter sudare comperiat; quibus si accesserit vocis defectio, vel interceptio, crebrior anhelitus, & summa respirandi difficultas, aut si guttur, & collum præter modum intumescere videatur, si ungues livescant, & si cætera omnia membra, quæ maxime soluta habet dissolvi, ac quasi præmorta concidere adnotentur, jam magis de ea re sollicitus erit, quod si jam frigidus, ac tenui sudore frontem, vel narium copiosius, & tepidiore corpus totum diffusere comperiat, si jam summus præsens sit corporis languor, si palpebræ concident, si stertat, si spumam ex ore emittat, Reus jam prope mortem est, nisi confestim illi opem feras. neque debet Iudex hæc expectare, difficile enim esset hominem à morte eripere, antequam à tormento deponeretur, & apto in loco collocaretur; priora ergo signa animadvertens sese ad deponendum Reum à tormento accingat; quod si ea quæ secundo loco recensimus adnotaverit, illico, nullaque interposita mora deponendum jubeat, aptisque auxiliis illi subveniat, quæ mox recensebimus. & licet Rei multa effugant, atque plura effugere possint, ut Iudici persuadeant, ne ulterius ipsos in tormentis detineant, ut vocis defectioem, crebram, ac difficilem respirationem, stertorem, languorem, spumam ex ore, & alia id genus, tamen neque pallorem, ac frigidum illum, cadaverosumque corporis aspectum sibi ad libitum conciliare possunt, neque item ad libitum, & quantum voluerint, & ex quibus partibus voluerint exudare, neque alia nonnulla simulare, quæ in vero, & non ficto animi quocunque defectu evenire solent; ut admonui alias *lib. 3. tit. 2. quæst. 6. n. 9.*

Videtur autem maxime ad nos pertinere, ut demostremus, quam ratione succurrendum his sit symptomatibus, si unquam ex tormento eveniant; & primo Rei quanto citius à tormento deponendi, & undique à vinculis solvendi, placideque tractandi, & si fieri potest mollibus stragulis excipiendi, sin minus quiescere aliquo in loco quam minime incommodum permittendi; tum aqua frigida leniter inspergendi, vel rosacea in faciem projicienda; aceto item rosaceo tempora, nares, & pulsus ma-

defaciendi, aliisque non dissimilibus ingenii restitaurandi, quibus uti plerumque Iudices testatur Ambrosin. *ubi supra, lib. 4. cap. 14. num. 11.* quæ tamen leviora sunt respectu violentiæ prægressæ causæ; quamobrem necessitate urgente, nempe si Rei jam defecerint, & in manifestam synopsen lapsi fuerint, neque tamen à tormentis depositi, & prædictis adjuti in se redierint, tunc absque dubio Medicus convocandus, sed interim si vocatus Medicus presito non adfuerit, quia in mora summum in hoc casu periculum, panis bucella vino generoso intincta offeratur, si modo porrectam assumere possint, vinum ipsum malvaticum, aut aliud generosum in os ingeratur, vel aqua vitæ tantillum ex Cinnamomo, aut Gariophyllis, aut simili, iisque etiam facies, pulsusque omnes madefiant; quinimo & petia eo vino madefacta, ac tepente testis involvantur, stomacho etiam crusta panis eodem vino calido madefacta apponatur, odoribus etiam gratissimis spiritus recreentur; nam mali odores in hoc casu omnino fugiendi, & idcirco reprobandum nonnullorum Iureconsultorum consilium volentium, ut malis quibusdam odoribus Reos excitare procuremus; cum enim synopsis hic ex summa, ac confestim facta spirituum dissolutione eveniat, vitanda ea omnia, quæ aut spiritus ipsos dissolvere, aut turbare possunt; quamobrem nec cucurbitulis, nec fortibus ligaturis, nec dolorosis ullis remediis utendum, sed placidis, ac mitioribus tractandum, omniaque sine mora administranda ei sunt, cui salus hominis cordi esse debet.

Admonendum autem hic etiam quod superiori quaestione admonuimus, nempe quod cum confiteantur Iudices homines per octo, aut decem horas jejunos tormentis exponere, aliqui ex ea sola occasione in prænarata mala incidere possunt, & maxime si longo tempore in tormento detineantur, ut absque dubio in Vigilæ tormento evenit, idcirco cum Iudex aliquid simile suspicatus fuerit, recte consultum puto, si aliquid signum etiam leve ex his, quæ recensimus demonstrantibus futurum animi defectum, adnotaverit, ut Reum cogat aliquid assumere, veluti bucellam panis vino intinctam, aut quid simile; aut si tormentum futurum sit diuturnum, aliquid majoris momenti, sic enim de facili hoc inconveniens evitabit.

## S V M M A R I V M.

1. Taxillorum tormento non multum fidem Iudices.
2. In maxime debilibus etiam Taxillorum tormentum vitandum.
3. Morbi peculiare impediens hoc tormentum.
4. Sibillarum tormentum omnium levissimum.
5. Sibillarum tormentum quoniam impediens.
6. Ferula proprium prætorum tormentum.

De Taxillis, Sibillis, & Ferula.

## Q V A E S T I O VII.

T Axillorum tormentum in locum atrocitatis tormenti adhibetur, vocaturque vulgo, la Stanghera, à repagulo ligneo, quo tormentarii in eo infligendo utuntur, ut suo loco dixi. eo autem Iudices non multum fidere videntur, imo periculosum esse dicunt, utpote quod non possit sua acerbitate, quæ multa non est, Reos cogere ad veritatem propalendam; idcirco ipse etiam Farinac. *in sepe citat. quæst. 38. num. 67.* hoc tormentum parvipendit, affirmans perpaucos esse, qui ob ejus efficaciam quicquam fatentur; cum tamen alia ex parte



Bernardin. in *Schol. ad Ambrosi. lib. 4. cap. 1. num. 2.* serio affirmet, Taxillorum usum esse vere inhumanum, ac rigidum. quam ergo ratione hanc horum D. D. contrarietatem conciliabimus? Farinaccio certe in his plurimum deferendum existimaverim; sed si alia ex parte considerabimus modum ipsius cruciatus, membrum quod cruciatur sensu exquisitissimo præditum articulum nempe insignem, aliaque partes eam partem componentes, negari nullo pacto poterit dolorem non posse fieri in hoc tormento atrocissimum, neque iis inferiorem, qui in aliis tormentis excitantur; jam à Tormentario accipi, posse se Repagulum calcando quantum vellet, malleolum ipsam minutim confringere. Sed quia neque ad longum tempus Rei eo tormento cruciantur, & in Taxillis potestate est, mitius, aut atrocius Reos torquere, qui frenis, & blanditiis cum licet, eos corrumpunt, idcirco eo nomine suspectum est. alias enim hoc non minoris facerem, quam ipsum Chordæ tormentum, qua saltem intensivo in hoc fit major cruciatus, licet in illo fiat major molestia. atque ea de re puto & in hoc tormento infligendo plura considerari posse legitima impedimenta, quibus præsentibus, Iudex ab eo abstinere debeat, ne, si non obstantibus his impedimentis, eo utatur, impietatis crimine delatetur, & hominis salutem parvipendere videatur. ac profecto, cum hoc tormentum, ut dixi, tunc in ulum à Iudicibus convocetur, cum aliis præ Rei debilitate, aut aliqua infirmitate, & legitimo impedimento uti non licet, videndum ne insigni debilitate præsentem id faciant; nam & ex hoc periclitari Reus possit, maxime si debilitas ex prægresso morbo sit; neque etiam præsentem quacunque febre, nisi esset aspernabilis ob eius exiguitatem, neque in ullo morbo, qui febrem adiunctam habeat; nisi forte in simplici quartana. in omnibus enim prædictis casibus & vires affatim concidere, & febres ex doloris acerbitate mirum in modum augeri possunt, quia dolor, & præcipue vehemens qualis in hoc cruciatus est, vires exolvit, Gal. 12. *Method. cap. 1. & alibi.* dolor item magnus corpus inflamat, humores accendit, inflammationemque ea de causa inducit, Gal. *comm. 3. de fræ. tex. 21.* & maxime dolor ex collisione, & compressione proveniens, qualis ex hoc tormento fit, ut idem Galen. docet *lib. supra comm. 1. tex. 24.* itaque non temere ita affecti hoc tormento cruciandi.

Sed morbi, qui peculiariter impedimento esse possunt, ne huic supplicio Rei supponantur, sunt qui ipsas inferiores partes, tibias nempe, pedesque exercent. ut tumores, sive apostemata, vulnera maxime insignia, ulcera notatu digna, varices, dolores podagrici, qui pedis proprie articulos molestant; qui quidem non solum si præsentibus sint impediunt huius tormenti usum, sed etiam si Reus alias illis fuerit obnoxius; non sic autem ceteri supranominati morbi, nisi summa remanisset partium debilitas. tanto magis autem attendendam in hoc Iudici existimaverim, quanto hoc tormentum in senibus facilius usurpari solet, qui propter graviores ætatem Chordæ, aut Vigilia torqueri non possunt, ut dicit Farinac. *ubi supra.* At tenes si quibus morbis sunt obnoxii, maxime podagram habent familiarum, ut experientia testatur, & cum Hippocri. *lib. 3. Aphor. ult.* omnis Medicorum schola: id autem non aliunde fit, nisi quia articulos valde infirmos habent, & pluribus humoribus crudis, ac pituitosis

abundant, qui facile ad eas partes tanquam cæteris, & debiliores, & decliviores decurrunt, itaque caute agendum cum senibus in hoc tormento.

Sibilli & ipsi in locum majorum tormentorum usurpantur, levissimum omnium tormentorum censetur, quod non tam ratione ipsius instrumenti, quo infligitur evenire credo, quod alias gravissimum inferre posset dolorem; quam ratione modi torquendi; nam funiculus, quo Sibilli simul alligatur, & quem coarctando digiti preffi cruciatur majorum, aut minorem percipiunt pro majori, aut minori pressura, non videtur tantopere attrahi posse; tunc tunc violentia digitos premere, ut licet notabilem dolorem exciterent, intolerabilem faciant; aut parem illi, qui Taxillis inferri potest. præterquam quod etiam in hoc, ut in Taxillis Tortorum fraus intercedere facili negotio potest, qui funiculum valide attrahere simulantes, lentius attrahant, & interim Reum ad vociferandum stimulant, ne fraus detegatur, ut magis cruciatus affici videatur, & tamen benignus, ac levis tormentum hoc fuisse antea his temporibus crederem; eo quod, quantum assequi potui, non nisi virgas quãdam inter digitorum interstitia immittebant, debili vinculo aliquo, aut funiculo digitos confringebant, ut recitat Brun. *de Iud. & tort. par. 2. quæst. 2. num. 6.* Sed nostra hac tempestate virgæ illæ in ligneo ac præduros paxillos abierunt, quales retuli, cochleæ in modum fabricatos; & quia ex Buxo sunt ligno nempe durissimo, cochleares illi circuli multum cruciari sunt apti, quod non crederem obtinuisse antiquiores Sibillos. Forte etiam non ambas simul manus junctas, ut ad præsens fit, tunc temporis alligabant.

Porro hoc tormentum absque periculo præ cæteris omnibus adhibetur; sed tamen si ulus aditæ extremæ manus peculiaris morbus notata dignus, ut maxime Chiragra est, ab eo certe abstinendum; periculum enim est, ne doloris acerbitate materia ad patientes particulas plurima cum violentia attrahatur, & notabilem exciteret tumorem, & inflammationem, quæ facile cancerosam, ac pravam naturam ob partis debilitatem inducere possit, ut aliquem alium morbum, qui licet difficulter talis fieri possit, ut lethalis evadat, tamen videant Iureconsulti, an impedimento huic tormento infligendo esse debeat.

Ferula tandem, Virga, Scutica proprium tormentum Puerorum est, quo non solum Iudices, sed multo frequentius minaces Ludimagistri utuntur, unde illud Iuvenal. *Sat. 1.*

*Et nos ergo manum ferule subduximus.*  
pro eo quod est pueritiam evadimus. & Martial. *lib. 10. num. 62.* Ludimagistrum alloquens;  
*Scuticaque loris horridis Scythæ pellis,*  
*Qua vapulavit Mæstus Cætenus,*  
*Feruleque tristes sepeira pedagogum*  
*Cessant.*

Ferula vero & scutica leviora sunt, flagella sunt graviora: nam ferula & scutica in pueris & mitioribus delictis, flagellis in viris & atrocioribus utebantur, unde illud Horat. *lib. 1. Serm. Sat. 3.*

*Ne scutica dignum, horribili sceleris flagello.*  
*Nam, ut ferula cædas meruim majora subire*  
*Verbera, non verbera.*

Sed & ad plectendos servos antiqui his quoque instrumentis utebantur, unde idem Iuvenal. *Sat. 6.*

Hic

*Hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,*  
*Hic Scutica.* Nota quoque est, quod si Notum vero est nullum habere hoc tormentum in se vitium, nisi illud animadvertendum ducas, quod adnotavit Chartar. *lib. 4. præf. inter. Rec. cap. 1. m. 49.* scilicet non indifferenter omnes pueros ferula, aut scutica cædi posse, quia excipi debent infantes, nempe illos, qui nondum septennium excefferunt, & videtur hæc cautela non esse superflua, sed post prædictum tempus, dummodo magnus terror illis non incutiatur, & vapulatio sit moderata, non est quid quod prohibeat, quo minus vapulare debeant: si tamen unquam casus detur, in quo necesse sit ante duodecimum annum puerum torquere.

## S Y M M A R I V M.

1. Pœnarum divisio.
2. Exilium perpetuum an sit pœna capitalis.
3. Exilium à relegatione quid differat.
4. Morbi ex Aeris vitio periculossissimi.
5. Carcer perpetuus pro pœna de jure civili prohibitus.
6. Carcer in quo Rei ob aeris malitiam perire possunt est prohibitus.
7. In damnatione ad Trirèmes quæ animadvertenda.
8. In fustigatione quid considerandum.
9. Membri abscissionem quæ prohibeant.
10. Fustigatio, & si quibus membrum est abscissum, quomodo tractandi.

## De Pœnis.

## Q U Æ S T I O V I I I.

Pœnarum genera quamplura & esse dixi, & multo plura esse posse. omnia tamen in duo genera generalissima distinxi, in pœnas temporales scilicet, & spirituales, de spiritualibus breviter inter miscellanea pertractare decrevi; nunc de temporalibus, quarum alias esse dixi pecuniarias, alias corporales, de prioribus nihil ad nos: posteriorum alia sunt capitales, alia non; Capitalium alia ad ultimum usque supplicium procedunt; (de quibus nihil omnino est à nobis dicendum) alia non, de quibus perpauca sunt, quæ per nos admoneri debent; eæ autem, ut dixi, aut sunt simpliciter capitales, ut exilium perpetuum, Trirèmes perpetuæ, aut non capitales, ut fustigatio, membri abscissio, exilium ad tempus, Trirèmes ad tempus, relinquam autem, ne ultra septem mœ Artis transiliam, dispositionem illam ad Iureconsultos tantum pertinentem, aut nimirum exilium perpetuum, & Carcer perpetuus, & similes pœnæ capitales sint, nec ne; quia multi in affirmativam, plerique in negativam sententiam abeunt; communiorum ego pro veteri supponam, priores nimirum capitales esse, posteriores nequaquam; neque ad hoc ulla afferam auctoritates, cum hujus puncti decisio nihil ad ea, quæ pertractamus conferre possit.

De exilio igitur nihil adderem, nisi cum exilio relegationem etiam comprehenderem, quia quoad quocunque effect in potestate exuli sese ad hanc, aut illam regionem conferre, nihil difficultatis esset, quod quocunque persona, & quoad quocunque nisi aliud obstarat in exilium mitti possit. In relegatione

autem coguntur, ut existimo, ipsi damnati in ea regione permanere, ad quam relegantur, quæ si aeris fuerit mali, & contrarii alicui morbo, cui relegatus sit obnoxius, vel si ob eisdem aeris vitium in morbum aliquem incidere, dubitari possit, an locus relegationis esset in salubriorem mutandus, in quo dubio quid esset resolvendum ego, quod ad me non spectet, non determino; sed illud admonere, quod ad me duntaxat pertinet, non desistam, quod morbi, qui ex Aeris vitio eventunt, & periculi pleni sunt, & cum summa difficultate sanabiles; unde quoad quocunque per Medicos requisitos pateret, locum relegationis esse prævi Aeris, vel contrariæ omnino Naturæ, habitudini, morbis, quos relegatus patitur, idem esset eo Reum relegare, ac illum securi percussere, aut alio modo occidere; cui impedimento an. & quando, & in quibus casibus sit attendendum ipsi Iureconsulti dijudicent.

Eadem consideratio esse potest in damnatione ad perpetuos carceres, licet de Iure civili hæc pœna sit prohibita. Bald. *de Carcer. cap. 1. num. 3.* & vide Cujac. *lib. 14. Observat. cap. 34.* sed si quando nunc imponatur, certum est prohibitum esse carcerem, in quo Rei ob Aeris malitiam perire facile possunt, Farinac. *g. 27. num. 97.* quod si veritatem habet, etiam si carcer non esset ex lege prævi Aeris (si modo idem observandum in carcere, qui ad custodiam, & in eo, qui ad pœnam inservit) sed tamen ejus naturæ, ut damnato presentaneum vitæ periculum afferret, absque dubio esset in minus malum permutandus; quod si habet locum in damnato ad carceres perpetuos, multo magis habebit locum in his, qui ad tempus, aut non pro pœna, sed in custodia detinentur. quinam autem morbi ab ea custodia excusant, & quando hominem possint, jam alias determinavimus.

De damnatione ad Trirèmes eadem, imo multo major consideratio habenda; si enim necessarium esse dicant Iureconsulti attendere ad ullum futurum vitæ periculum in his, qui ad eas in perpetuum damnantur, multo magis necessarium esse firmabunt, attendere ad idem periculum in his, qui damnantur ad tempus. Itaque debiles, convalescentes, valetudinarii, magno morbo capitis, pectoris, aut cæcusque alterius partis detenti, quos alias recensuimus, Gallicæ infectioni, arthriticis doloribus, herniis quomodocunque obnoxii Trirémibus sunt inepti. Etatem quoque tam teneriorem, quam proveciorem in considerationem venire debere notius est, quam ut à me ulteriori oratione moneri debeat, quia trirèmes fortes homines & sanos requirunt, ut notat ex Iureconsultis Act. *de Infirmit. par. 2. verb. Trirèmes. num. 1.* ubi ad trirèmes damnatos, si sint infirmi, dimittendos esse voluit, dato substituto.

Ceterum fustigatio, quæ & fustigatio dicitur, & habet etiam aliquid consideratione dignum: nam si multa, ac sæva futura sit, in debilitate esse non potest, neque in febricitante, neque in Phtisico, neque in Hectico, neque in eo, qui insigni aliquo pectoris morbo laboraverit. quin etiam tuta non est si gravi stomachi imbecillitate, aut cordis tremore, aut lipothimia, aut syncope, aut alio notabili cordis affectu fustigandus invadit sit consuetus.

Sed & membri abscissio multo magis in censu habenda, neque ubi homo insigni morbo laboraverit infligi absque presentaneo vitæ periculo potest; quin & robustas requirit vires, nam & ipsi



Medici vix audent membrum etiam demortuum abscindere, nisi summus corporis vigor adsit; quomobrem morbi omnes notati digni, quos alias nominavimus, etiam in hac pœna infligenda impedimento esse possunt, quodnam autem membrum abscindendum, si quod à statuto præcipitur tantum utile sit, aliud autem inutile, ut si statutum jubeat amputari dextram, Reus autem sinistram habeat aridam, apud Iureconsultos videndam.

Remanet tandem ut Medici officio peccati doceamus quæ cura in fustigatis, & in his, quibus aliquod membrum abscinditur, sit adhibenda, & quoad fustigatos, diversa auxilia proponuntur à Paulo lib. 4. cap. 12. ab Avic. 44. nat. 2. cap. 7. & aliis ex Arabibus; à Bertapalia de apostem. cap. 15; à Jo. de Vigo sue Chirurg. lib. 9. cap. 15. omnes autem maxime laudant orillam pellem detractam,

calentemque superimpositam. Vigo sanguinem primo detrahit; post cum aliis (qui universalia supponunt) præbet Rhabarbarum pondi unius drachmæ, cum Rubea tinctorum, & Zingibere ad scrup. i. cum aqua Scabiosæ. Datur & Bolus Armena, & Terra sigillata, & Mumia, & Rhaponticum, & decoctum Cicernæ rubrorum extorticatorum, & alia quæ ad eos, qui ex alto cadunt, aut violentè in aliqua dura corpora impingunt ab auctoribus præscribuntur, extra apponitur cerussa, lithargirium, pulvis mirtyllorum, Rosarum, Camomillæ oleum rosaceum, mistanup, Camemelinum, & alia apud illos vide, apud quos etiam curam habes, quæ servari debet in amputatione membrorum, præcipue autem eam require apud eundem Vigenonem lib. 9. cap. 31. & apud Paræum lib. 11. cap. 20.

Libri Sexti Finitis.



P A V

CASPARI DE SIMONIBVS  
PAVLI ZACCHIE  
Medici Romani,  
QVÆSTIONVM  
MEDICO-LEGALIVM

LIBRI SEXTI  
TITVLVS TERTIVS.

De Præcedentiâ inter Medicum,  
& Iurisperitum.

Continens Quæstiones octo;  
quarum

- I. Quid sit Honor, quid Præcedentiâ. Honor major uni, quam alteri cur debeat in Republica. 431
- II. Objecta in Medicinâ, & Medicos. 435
- III. Objecta in Leges, & Legumperitiam. 439
- IV. Respondetur us, quæ contra Medicinam, & Medicos objecta sunt. 442
- V. Sati fit ad ea, quæ contra Iurisprudentiam, ejusque Professores objiciuntur. 449
- VI. Lex quomodo orta, Politicâ unde originem traxerit, unde item Iurisperitia. 452
- VII. Vocum, ac terminorum elucidatio. 453
- VIII. Dicenda quæstionis ratio ostenditur. Objectis in contrarium respondetur. 455

Admo-

LIBRI